



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

LX. Vtrum hæc verba: Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei,
&c. sint forma huius sacramenti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

corpori, & sanguini inuicem in passione separatis iusta, respectu utriusque analogia correspondent. Quæ, & similia quam plura, quam specialiter huic Sacramento, ac sacrificio, in cruento congruat, per se satis patet.

Ad 2. Panis triticeus, & vinum de vite suppetunt ex proprio in plerisque regionibus & ubi defunt, conuehi aliunde commodè possunt, in quantitate sufficienti ad consecrationem. Præterea istud Sacramentum in re non est necessarium necessitate mediæ, sicut baptismus. Oportuit verò materiam esse eandem ubique pro vniformitate fidelium, in mysterio præcipuo; tum quia, in nulla alia re significationes symbolicæ, quæ sunt de ratione Sacramenti adsunt satis idoneæ, ut apparet ex modo indicatis.

Ad 3. Nulla est paritatis ratio inter verba, & res. Quia in quouis alio idiomate, dantur verba idem significantia, eaque identitas significationis, est clara, ac manifesta, ut potè venientis ex hominum placito, cum in nulla alia re dentur eadem symbolicæ proportionēs, fundatæ in naturis rerum, iisque non vique ad eod peruiis humano ingenio, quoad rationem symbolizationis; tamen ea daretur re ipsa.

Artic. 1. Ad 4. Cum istud Sacramentum institutum sit pro usu, & conuiuio spiritali fidelium, ex ipsa eius institutione deprehenditur, quantitatem materiæ debere esse maiorem, vel minorem, pro numero maiori, vel minori conuiuarum. Quia verò is numerus non est determinatus, semperque vniformis propterea nulla est vniformis, & inuariabilis determinatio quantitatis requisitæ, ad valorem consecrationis, præterquam versus minimum, ut sit quantitatis per se sensibilis naturaliter, quod est de ratione Sacramenti ut sic, & versus maximum, ut sit quantitas designabiliter præsens consecranti, ut indicant syncategoremata formæ, *hoc, & hic*.

Art. 2. Iam quod panis sit azymus, vel fermentatus, est differentia accidentalis; maxime pro significationibus symbolicis, & utrique conuenit ratio panis, simpliciter dicti. Vnde uterlibet sufficit ad valorem Sacramenti. Verum azymus est determinatè in præcepto pro Ecclesia Latina, idemque videtur esse absolute conuenientior; tum propter maiorem imitationem Christi, qui usus est azymo; tum propter maiorem significationem sinceritatis vitæ Christianæ, illud 1. ad Corinth. 5. 8. *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitia; sed in azymis sinceritatis, & veritatis.*

Ad 5. Materia nutritionis applicatur per manducationem, & potum, atque alteratur, & conuertitur actiuitate propria nutriti, non verò materia generationis. Vnde oportuit retineri differentiam quoad hoc proportionalem in materia baptismi, & Eucharistiæ.

Ad 6. Non nocet valori Sacramenti quælibet mixtio, quæ est notabilis, & aufert rationem panis triticeæ, aut vini de vite vsualium, & simpliciter, ac absolute talium, ut si maior, vel dimidia pars esset alterius speciei. Cæterum pars alterius speciei, siue parua, siue magna sit, dum separatim existit, nec effectus, nec apparentiam ad sensum, ac proinde, nec vim significandi retinet eandem, atque habet, seu haberet in mixto; ideoque non est materia perinde idonea, dum separatur, atque cum miscetur.

Ad 7. Omnia ea, quæ ibi enumerantur, propter excessum, vel defectum, deficiunt à ratione panis, & vini vsualis, quodque simpliciter, & sine addito tale communiter dicitur; ideoque non sunt materia sufficiens ad valorem Sacramenti. Verum inde non conuincitur addendum esse aliquid, pro designanda materia sufficienti, ultra panem triticeum, & vinum de vite; sed potius nihil addendum, aut detrahendum esse.

QVÆSTIO LX.

Verum hac verba: Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei, &c. sint forma huius Sacramenti?

Videntur non esse. 1. Quia minister profert hæc verba purè recitatiue, tanquā olim dicta à Christo, ut patet ex contextu canonis; ideoque non significant in ministro intentionem aliquid faciendi; neque quod aliquid fiat de præsentī, sed, quod olim factum fuerit. Essentiale autem est formæ Sacramenti, ut significet intentionem ministri, & opus eius supernaturale, vi eiusdem formæ, positum à parte rei: iuxta significationem ipsius, & non aliter, ut dictum est qu. 14. & alibi. Ergo ea verba non habent rationem formæ.

2. Si pronuntiatio eorum verborum ex vna parte sit recitatiua, iuxta naturam contextus, & ex alia parte simul sit personalis, & significatiua prædicæ, propter intentionem ministri, volentis exercere significationem eorum de præsentī, & vi eorundem ponere à parte rei obiectum significationis; sequitur eam intentionem non esse sinceram quæ contrariatur contextui loquentis, & locutionem esse falsam, quia *Tò meum, & mei* in locutione personali, & significatiua appellant supra corpus, & sanguinem loquentis. Quæ certè non adsunt sub speciebus.

3. Particulæ *hoc, & hic*, cum sint demonstratiuæ de præsentī, supponunt pro eo, quod tunc subest accidentibus, cum ipsæ proferuntur. Tunc autem sub sunt illis solæ substantiæ panis, & vini. Quibus sanè subiectis, non conuenit esse corpus, & sanguinem Christi. Eodem recidit copulam *est*, exigere pro sui verificatione, ut prædicatum in sit subiecto, pro eo ipso instanti, pro quo ea profertur, & non tantum pro aliquo instanti subsequenti. Corpus autem, & sanguis Christi non insunt, nisi in fine totius pronuntiationis. Ergo neutra propositio est vera; atque dici potius deberet *erit*, & non *est*.

4. Si dicatur, priora utriusque eius propositionis verba referri, ex intentione loquentis, ad vltimum instans prolationis, atque supponere, pro re secundum statum, quem tunc habet; sequitur significatum reale particularum, *hoc, & hic*, esse corpus, & sanguinem, quæ pro illo instanti sub sunt accidentibus, panis, & vini. Hinc autem subsequitur vltèrius, sensum utrobique realem esse istum; *Corpus meum, est corpus meum: Sanguis meus, est sanguis meus.* Quæ quidem erant vera, etiam ante consecrationem. Vnde consecratio nihil operabitur, ex vi suæ verificationis: Quod est absurdum, ut apparebit ex dicendis qu. 65.

5. Forma Sacramenti debet exprimere effectum eius: Effectus autem huius Sacramenti, est conuersio panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi; quæ magis exprimitur per Verbum *fit*, quàm per Verbum *est*. Ergo illud potius Verbum, quàm istud poni deberet. Confirmatur, prius est rem fieri, quàm esse: fieri autem huius conuersionis sunt ipsa verba formæ. Ergo non possunt verificari, si annunciantur per Verbum *est*, quia eo ipso enunciantur, nondum existente verificatiuo ipso. Confirmatur rursus, quia secundum Ambros. lib. 4. de Sacram. c. 4. sub initium, *eo sermone Christi conficitur hoc Sacramentum, quo facta sunt omnia.* Omnia autem facta sunt per Verbum Imperatiuum, ut apparet ex 1. Genes. Magis ergo dici deberet *fit*, quàm *est*.

6. Terminus ad quem istius conuersionis, exprimitur nomine proprio. Ergo etiam terminus à quo, non minus essentialis conuersioni, deberet exprimi nomine similiter proprio, ut diceretur: *Hic panis est corpus meum: Hoc vinum est sanguis meus.*

7. Hoc Sacramentum perficitur verbis Christi, ut docent

docent. Ambros. & Aug. relati cap. panis est in altari, & cap. verum sub figura de consecrat. dist. 2. alique PP. communiter apud Suarez. disp. 66. sect. 3. Christus autem, ante verba proposita circa corpus, præmisit hæc alia: *accipite & comedite*, vt habetur Matt. 26. & Corinth. 11. 24. Circa sanguinem etiam similiter, præmisit, vt narrat Matthæus ibidem. Præterea de corpore subiecit: *Quod pro vobis traditur*, vt habetur Lucæ 22. 19. & apud Paulum loco cit. idemque similiter subiecit de sanguine apud Matth. Marcum, & ipsum Lucam. Ergo verba proposita non sufficiunt se solis, pro forma huius Sacramenti.

8. Verba illa, quæ adiciuntur in consecratione vini: *novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; non habentur omnia coniunctim apud ullum ex Evangelistis, & apud Paulum defunct fere omnia, & nonnulla, vt *To æterni To mysterium fidei* defunt apud omnes; Quæ verò habentur, nec eadem, nec eodem ordine, ab omnibus referuntur, vt videre licet in locis modò indicatis. Præterea eadem verba desiderantur, vel omnia, vel quoad partem, in multis legitimæ, & magnæ auctoritatis liturgiis receptis vsu antiquo, & in hunc vsque diem retentis à pluribus Ecclesiis nihil reclamante Ecclesia Romana, & sede Apostolica de nullitate, vt videre licet apud Suar. disp. 60. sect. 1. Vsq. disp. 198. cap. 3. Valen. qu. 6. pun. 2. & Card. de Lugo disp. 11. sect. 4. aliosque in præsentia. Apud eosdem habentur Ambrosius, & alij. SS. PP. ac præsertim Damascenus, nec non Mag. Alens. Albert. Magn. D. Bonavent. alique Primarij Theologi exponentes ex professo vtramque formam istius Sacramenti absque additamento talium verborum. Ergo ea verba non pertinent ad formam huius Sacramenti.

9. Eadem verba videntur non satis inter se coherere. Primum enim novum est, quod immediatè aut paulo ante non fuit; æternum verò, quod semper fuit. Ergo non potest vtrumque eidem rei convenire. Secundò *To pro vobis, & pro multis*, neque de solis electis accipi potest, quia electi, sunt pauci, ex Matth. 20. 16. neque de quibusvis indiscriminatim accipi potest; pro quibus sanguis Christi effusus est, quia non pro multis tantum, sed pro omnibus mortuus est Christus ex 2. ad Corinth. 5. 15. Demum particula *effundetur* non verificatur de sanguine Christi, vt est in Sacramento, *Christus enim iam non moritur*, vt dicitur 6. ad Rom. 9. ac proinde sanguis eius non amplius effunditur, aut effunderetur.

Art. 1. Respondetur. Certum est apud omnes Catholicos, contineri in verbis propositis formam sufficientem pro consecratione tam panis, quam vini. Quia illis solis perfecit, ac instituit hoc Sacramentum Christus Dominus, vt liquet ex locis Evangeliorum, & Pauli nuper indicatis, & ex perpetua Ecclesiæ traditione; iisdemque solis videntur, & semper vsæ sunt Ecclesiæ omnes Catholicae, vt liquet ex liturgiis, & consensu Sanctorum paulò ante indicatis apud auctores eruditos; ac demum iisdem solis significantur perfecte totum esse, omnesque effectus huius Sacramenti, vt infra patebit; atque forma adæquata Sacramenti continetur in solis verbis continentibus adæquatè eiusmodi significationem. Hoc posito ex communi, ac indubitato consensu, superest gravis, & difficilis controuersia: An eadem omnia verba sint de essentia Sacramenti, & formæ Sacramentalis; adeoque omnia sint omnino necessaria ad perficiendum Sacramentum.

Artic. 2. Dicendum est primò, hæc sola verba: *Hoc est corpus meum: Hic est Calix sanguinis mei; seu. Hic est sanguis meus*, sufficere ad Sacramentum validum; ita vt minister idoneus ea sola proferens cum debita intentione, eo ipso perficiat validè Sacramentum. Ita docet disertè D. Thomas quæst. 78. art. 1. maxime ad 4. Vnde ea sola verba constituunt adæquatè formam

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I. I.

huius Sacramenti quoad essentiam ipsius, vt docent vnanimi consensu auctores relati in 8. argumento; alique communiter, probant efficacissimè istam conclusionem, quæ in eodem octauo argumento producta sunt. Incredibile namque est Euangelistas, & D. Paulum in narratione huius mysterij ea, vel omisisse, vel non concorditer tradidisse, quæ pertinent ad essentiam eius. Prædicta autem solummodo verba expriment omnes concorditer. Neque est magis tolerabile tot Ecclesias, in vera Christi fide fundatas, eisdem solis verbis vtentes, certè in eis solis invicem vniuersaliter conformes, nulliter per tot sæcula celebrasse, hodièque celebrare; vel à Deo factas esse pro ipsis speciales huius Sacramenti institutiones, per instinctum purè internum. Quorum neutrum absque magna absurditate dici potest. Demum verba sacramentalia efficiunt, quod significant; idest, efficiunt, quantum necesse est, vt verificentur, prout exponetur magis quæst. 65. ex Conc. Trid. Prædicta autem verba significant se solis præsentiam corporis, & sanguinis Christi; nec verificari possunt ea non data, vt patet. Ergo efficiunt eandem. Data autem eiusmodi præsentia, datur valor, & essentia Sacramenti: Quibus profecto argumentis, quid cum aliqua satis idonea probabilitate, & apparentia responderi possit, ego prorsus non video.

Art. 3. Dicendum rursus est illa alia verba: *novi, & æterni testamenti, &c.* quæ sequuntur in consecratione calicis, esse nihilominus de substantia formæ, & pertinere ad integritatem substantialem ipsius, atque convenienter adijungi ab Ecclesia, tanquam determinationes vberius declaratiuas prædicati, cui adiacent; idest, sanguinis Christi; ita docet disertè D. Thom. qu. illa 78. à 3. & Sotus, alique Thomistæ contradicentibus Suarez, Vsq. Valen. & multis aliis, eò quòd in Sacramentis nullo ex capite discerni possit, quod est de substantia, ab eo quod est de essentia, & partes substantiales integrales ab essentialibus.

Art. 4. Probatur nihilominus efficaciter conclusio, Primò quia Innocentius 3. cap. cum Marthæ. extra de celebrat. Miss. omnia ea verba appellat formam huius Sacramenti. In fine namque §. *Quasiuisti, quæ sit forma*, concludit sic: *Credamus igitur, quòd formam verborum sunt in Canone reperiuntur, & à Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperint successores.* Quæ autem purè accidentaliter se haberent respectu formæ, non rectè dicerentur forma sine addito diminuenti, nec vsque ad eò curandū fuisset, an ea ita dicta essent à Christo. Quod tamen toto illo §. diligenter persuadetur, & seriò concluditur cum ad superaddenda accidentia, Ecclesiæ non desit auctoritas. Deinde omnia ea verba sunt vniiformiter in se, & cum discretione à cæteris præcedentibus, & subsequentibus verbis, conscripta ex immemorabili Ecclesiæ obseruatione; eademque est obseruatio in modo reuerentiæ nequaquam interrupta, quo ea omnia pronunciat Presbyter, quod tamen fieri non deberet, si vnitatem per se, quam indicat vtrique eiusmodi vni-formitas, ea non haberent in ratione formæ sacramentalis. Tertiò Presbyter non proponit populo adorandum Calicem, quousque absoluat omnia ea verba; cum proponere protinus deberet absoluta substantialiter forma. Quartò Concil. Florent. in decreto, & §. suprà memoratis ait: *Forma huius Sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc perficitur Sacramentum.* Constat autem ex textu Innocentij nuper adducto omnia ista verba esse verba Saluatoris, non vtiq. ab eo prolata qualitercunque, & ad qualecunque aliud propositum, sed ad id spectantia determinatè, de quo agebat Pontifex; nempe vt eis perficeret Sacramentum. Ergo omnia ea verba spectant ad formam huius Sacramenti. Non autem ad eam spectant secundum essentiam ipsius, vt constat ex conclusione præcedenti.

Ll 2

Ergò

Ergo spectant ad integritatem eius substantialem.

Artic. 5. Dicendum postremò est partes substantiales purè integrales, à partibus essentialibus formæ, per hoc differre, quòd partes essentialibus significant, & inducunt se solis conuersionem panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi secundum se, eademque conuersio existit adequatè, cum primum absoluitur illarum prolatio. A partibus verò accidentalibus, & extrinsecis formæ, differunt eadem partes integrales, quia vt dicit D. Thomas l. c. sunt modificationes prædicati, quod est essentialis formæ, eiusque augment significationem, & reddunt clariorem, ac faciunt præsentiam Christi sub speciebus, idque intra idem genus significationis, & expressionis quatenus omnia sunt verba Christi instituentis hoc Sacramentum, vt nuper habitum est ex Innoc. 3. Quam in rem oportet recolere obseruationem datam in communi supra qu. 10. articulo 2. circa authorem, & specialem inde significationem verborum sacramentalium.

Artic. 6. Eadem hac de causa Sacerdos non proponit populo adorandum Calicem, quousque absoluat prædicta verba integralia formæ; tamen adsit Christus sub speciebus, cum primum enuntiantur, quæ essentialia sunt. Ne videlicet, vel ipse aliquantulum interrumpat verba Christi Domini, & corporis applicatione vniuersi illis religiosè absoluendis sit intentus; neque populus ab inchoata eorundem Christi verborum attentione diuertatur ad aliud, quousque tota propositio Christi loquentis per suum ministrum sit perfectè terminata, & exaudita. Idem præterea obseruatur, quia non est damnata opinio, dicens omnia ea verba esse de essentiali formæ, ideòque non est certum ex fide, adesse Christum antequam omnia illa absoluantur; atque pro adoratione merito expectatur totalis certitudo præsentis Christi: simul cum totali eiusdem significatione, & expressione. Hoc igitur pacto rectè renocantur in concordiam, aut emendantur ex parte, sententiæ contrariæ supra indicatæ, circa formam Calicis.

Artic. 1. ad 1. & 2. Verba consecrationis dicuntur à Ministro relatiuè, seu historicè; simulque personaliter, & prædicè. Quod dicantur relatiuè; indicat inter alia, particula *enim* interposita vtrique formæ. Ea namque particula non est pars formæ neque essentialis, neque substantialis, aut integralis, vt est certum apud omnes Theologos, quia nihil facit pro significatione practica enunciationis sacramentalis; sed solum ponitur ad connectendam vtramque enunciationem narratione præcedentis, tanquam eius complementa atque adeò indicat clarè vtramque formam dici historicè, & continuando narrationem.

Artic. 2. Quod autem eadem verba non dicantur purè recitatiuè, ac historicè; sed personaliter simul, ac prædicè; indicat non solum diuersa pro tunc corporis habitudo, ac vocis tenor, & interposita morula, manifestantes diuersam esse intentionem loquentis; atque aliud eundem moliri sequentibus, quam præcedentibus verbis; sed etiam, & multo magis id ipsum indicat reuelatio Dei præuia fidelibus, ipsique ministro iam notificata, Deum velle vt ea verba dicantur à ministro nomine Christi, cum potestate, & intentione faciendi, quod dicit, iuxta illud apud Lucam, & Paulum, vbi supra: *Hoc facite in meam commemorationem*. Vbi certè non iubentur solum referre, quia facere plus est, quam purè referre. Habent igitur prædicta verba veram rationem formæ sacramentalis, licet dicantur recitatiuè, ac historicè, quia nihilominus dicuntur personaliter simul, & prædicè.

Artic. 3. Quia verò, quòd eo modo dicantur, supponitur præcognitum à fidelibus, idemque demonstrat satis ipsa loquentis habitudo nuper obseruata: nullus

est defectus sinceritatis in ministro, sed est abundantia ministerij in locutione. Rursus quia minister loquitur in persona Christi, *To meum, & mei* appellant solum supra corpus, & sanguinem Christi, propterea que nulla est falsitas locutionis; sicut nulla esset, si famulus adiret possessionem Domus; nomine sui Domini, & diceret: *Dominus meus, inposuit mihi vt reciperem pro ipso hanc domum dicens, vti recipio, & dico eius nomine: Hec domus est mea*.

Ad 3. & 4. Particulæ *hoc, & hic*, referuntur simul cum copula, ex intentione ministri, & vltimum instans propositionis exterius prolata, vt potè operatrici se tota, & non per partes suas seorsim sumptas, supponunt verò confusè pro eo, quòd subest accidentibus, quin determinent per se præcisè, aut quòd subest, cum proferuntur; aut quòd subest in fine propositionis. Quo vitatur vtrumque illud obiectionum inconueniens, Ambæ namque propositiones sunt veræ, quin sint identicæ; atque operantur denuo, quòd significant. Sensus, nimirum est. *Substant his accidentibus est corpus Christi, & sanguis Christi*. Quo ferè modo exponitur communiter à Logicis prædicatio rationis vniuersalis de particulari in indiuiduo.

Ad 5. In his, quæ fiunt in instanti, simul est fieri, & factum esse. Effectus autem Sacramenti adeoque conuersio Eucharistica fit in instanti, vt dictum est supra in communi quæst. 29. Intentio verò consecrantis sistit vltimò in facto esse conuersionis, idque inducit significando ipsum per verba, habente rationem causæ ipsa significatione effectus, vt existentis pro posteriore naturæ ad eandem significationem. Quæ propter *To est*, & verificatur, quia effectus existit realiter pro illo ipso instanti, & iustus correspondet intentioni operantis, atque modo operandi, quàm Verbum fit, fiat, aut sit; licet hoc Verbum fuerit magis accommodatum pro prima rerum creatione. Quam videlicet induxit Verbum Dei, non sacramentaliter, & significando; sed solum applicando potentiam ad opus. Ex quibus patet ad confirmationes.

Ad 6. Terminus à quo conuersionis non existit pro instanti intrinseco consecrationis, sed solus terminus ad quem; nec illius exclusio intenditur per se, & directè, sicut intenditur positio huius. Vnde non est par ratio.

Ad 7. Hoc Sacramentum perficitur Verbis Christi non qualibuscunque, sed iis tantum, quibus ipse illud perfecit. Ipse autem non perfecit per illa verba: *Accipite, & comedite*; seu *bibite*. Quæ videlicet solum significant vsum, qui non est de substantia huius Sacramenti, sicut in Sacramentis cæteris, vt infra dicitur. Iam Verbum *pro vobis, &c.* conuenientius adiungitur sanguini, quàm corpori; nec repetitur vtroque, licet Christus vtroque repetierit. Quia sanguis seorsim consecratus præsentat expressè passionem Christi, cuius effectus significatur ea additione. Nec opus est repetitione in Missa, quia altera consecratio vix quidquam disjungitur ab altera; cum in cena Christi intercesserit disunctio maior, quandoquidem panis inter cœnandum, calix post cenam consecratus est, vt habetur apud Lucam, & Paulum vbi supra & in Canone.

Ad 8. Omnes Euangelistæ, & Apostolus, conueniunt in referendis distinctè iis, quæ sunt de essentiali formæ, cætera habentur ex traditione Apostolica, vt innouit ex Innoc. 3. iuxta illud 1. ad Corinth. 11. 23. *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis*. Illa eadem ad integritatem substantialem pertinentia oportuisse, vt essent occulta in Ecclesia primitiua, obseruatis est Diui Thomæ in præallegato art. 3. ad 9. ex Dion. de Eccl. Hierarch. sub finem. Neque verò est inconueniens intolerabile, eadem verba desiderari,

desiderati, tum in usu aliquarum Ecclesiarum, tum in expositione aliquorum Doctorum. Quia defectus partium purè integralium non tantum nocet proportionaliter sacramento, quantum nocet composito naturali. In composito enim naturali præsertim viuenti, & multo magis animali defectus partium integralium impedit operationes essentialia, quarum illæ sunt causæ instrumentales necessariae. At in sacramento, salua essentialia, manent iidem omnes effectus gratiæ, solùmque deest maior aliqua, & expressior illorum significatio. Quæ licet sit eiusdem generis, & componens vnum per se morale, cum significatione essentiali, vt dictum est, non tamen tanti est proportionaliter, vt iam apparuit.

Art. 1. Ad 9. Nouum dicitur, quod succedit alteri, & est postremum; æternum verò, quod nunquam deficit; tale autem est testamentum confirmatum morte Christi Domini: quod propterea dicitur nouum ratione posterioris temporalis exhibitionis, & æternum, etiam à parte ante; ratione præordinationis diuinæ. Nempe hæc locutio est propria Christi, vt hominis Dei, adiungentis propterea opportunè temporalitatem affectam æternitate.

Art. 2. Effusio sanguinis Christi vtrouis ex illis modis dici potest *pro multis*. Pro electis quidem, quia electi ita sunt pauci comparatione omnium vocatorum, ac reproborum, quibus contraponuntur in parabola Matthæi; vt tamen sint multi comparatione Apostolorum, aut etiam cæterorum sacerdotum, quibus contraponuntur in præfenti. Pro quibuscumque verò vtrouis contentis in intentione, & opere merentis, quia nomine multorum posito indefinitè, non incongruè, nec raro comprehenduntur omnes, quando omnes re ipsa sunt multi. Probabile præterea est *pro vobis & pro multis* poni pro Hebræis, & Gentilibus comprehendendo vtrouis prædestinatos simul cum reprobis. Sed probabilius est nomine multorum intelligi cæteros fideles, quia hoc sacrificium offertur propriè in Ecclesia pro solis fidelibus.

Art. 3. Denique effundi perinde est in præfenti, atque libari, & offerri, quatenus oblatio liquidorum sit cum effusione. Quo itidem sensu, ac ratione dicitur apud Paulum supra, & inde à Græcis: *Corpus meum quod pro vobis traditur*; seu vt est in alia versione *frangitur*; id est *immolabitur*. Reliquæ particule infra opportunius exponuntur.

QVÆSTIO LXI.

Vtrum panis, & vinum possint conuerti in corpus, & sanguinem Christi?

Videntur non posse conuerti. 1. Quia conuersio continetur sub genere motus, vtpotè faciens aliquid aliter se habere. Est autem de ratione motus, vt præsupponat subiectum recipiens terminum eius, quia est actus existentis in potentia, vt dicitur, 3. Phys. Text. 6. At in Sacramento nullum est subiectum, quod recipere possit substantiam corporis, & sanguinis Christi, cum sit de conceptu substantiæ non esse in subiecto. Ergo eiusmodi conuersio est impossibilis.

2. De ratione conuersionis est, vt forma eius in quod conuertitur aliquid, insit materiæ eius, quod conuertitur in ipsum; vt apparet ex conuersione aëris in ignem, alimenti in altium, & sic de similibus. Forma autem corporis & sanguinis Christi nequit inesse materiæ panis, & vini. Ergo hæc in illa conuerti nequaquam possunt.

3. Quæ sunt secundum se adæquatè diuersa non possunt inuicem conuerti, aut vnum eorum fieri alterum;

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

sed necesse est adesse aliquid tertium vtrique commune; Nec enim nigredo fit albedo, aut conuertitur in albedinem, sed ex nigro fit album, vt dicitur in 1. Physic. à tex. 42. Tota autem substantia panis, & vini, atque tota substantia corporis, & sanguinis Christi, sunt secundum se adæquatè diuersa: non minus, quam albedo, & nigredo. Quia sicut istæ qualitates sunt principia distinctionis formalis; ita illæ substantiæ ratione materiæ signatæ vtrouis contentæ, sunt principia distinctionis indiuidualis. Ergo vtrouis est eadem impossibilitas mutue conuersionis.

4. Non potest quilibet conuerti in quodlibet aliud. Nec enim Deus in creaturam, spiritus in corpus, non esse in esse, & similia inuicem conuertibilia sunt, siue mutuo, siue non mutuo. Nullam autem specialem aptitudinem habent panis, & vinum, vt conuertantur in corpus, & sanguinem Christi. Ergo neque hæc sunt inuicem conuertibilia.

5. Aliquid conuerti in aliquid aliud, est ex aliquo fieri aliquid aliud. Nequit autem ex pane, & vino fieri, corpus, & sanguis Christi. Primum quia id ex quo fit aliud, dicitur fieri illud. Quia enim ex albo fit nigrum, & è conuerso; dicitur album fieri nigrum, & è conuerso. Non autem dicitur panem fieri corpus Christi, cum panis non sit subiectum huius factionis, vtpotè non existens, cum datur factio. Deinde quia fieri terminatur ad esse, seu ad factum esse. Nequit autem verificari panem esse, aut factum esse, aut fore corpus Christi. Ergo nec verificari potest ex pane fieri corpus Christi.

6. Ad conuersionem vnius in aliud requiritur, vt quod conuertitur desinat esse; vtque id in quod conuertitur, incipiat esse de nouo. Nec enim id conuertitur, quod perseverat, sicut erat antea; neque quod definit esse, conuertitur in id quod vel iam præexistebat, vel nondum existit. Corpus autem, & sanguis Christi præexistunt antequam perficiatur hoc Sacramentum. Et quidem præexistunt per se, & non per accidens, quia hoc Sacramentum perficitur dependenter à meritis Christi, & Minister illud perficiens operatur nomine Christi, vt principalis, ac æterni Sacerdotis. Sed neque panis definit esse ex vi actionis, quia fit idem Sacramentum. Quia hæc actio nihil, aut gignit, aut creat quod formaliter sit corruptiuum, aut annihilatiuum panis. Ergo vtrouis ex parte repugnat, vt hic intercedat vera conuersio.

7. Neque actio creatiua est conuersiua alicuius in aliquid, neque actio purè adductiua de loco in locum, est conuersiua substantiæ in substantiam. Quia prior actio ponit suum terminum à parte rei nullo alio præsupposito, quod conuertatur, & posterior actio solum ponit mutationem secundum accidens; oportet autem dicere actionem istam sacramentalem, vel esse creatiuam, vel esse purè adductiuam corporis, & sanguinis Christi secundum locum. Quia pro ipsorum secundum se productione nullum præsupponitur subiectum ex quo educi valeant; ipsis verò secundum se non productis, sola superest præsentia localis, quæ producat; atque productio solius præsentia localis est actio, purè adductiua in nouum locum. Ergo actio, qua perficitur hoc Sacramentum, nullo modo potest esse controuersiua.

Artic. 1. Respondetur conuersio communiter dicitur *transitus vnius rei in aliam*. Vnde apparet de conceptu conuersionis esse, vt adit tertium quoddam commune duobus extremis; quorum alterum alteri succedat. Repugnat nimirum transitus absque transeunte. De conceptu autem transeuntis est, vt prius adit termino, à quo transit; & deinde, adit termino ad quem transit; ac proinde, vt sit vtrique commune successiue. Similiter est, de conceptu conuersionis, actio, vi cuius aliquid depellatur ab eo tertio communi, & simul acquiratur eidem aliquid aliud. Quia